

Quaestio ergo erat de existentia huius legis. Quid ergo mirum si Africani non invenientes eum canonem, citatum tanquam nicaenum, in suis codicibus concilii nicaeni, dubitarunt de eius existentia, volueruntque de ea re fieri certiores? Et tamen, cum postea quoque inter nicaenos non fuerit canon ille repertus, ideoque persuasi essent Africani eam legem non exstare; non negant se obedire velle, eumque canonem productum a Zosimo sequi; sed tantum *deprecantur* et suadent Pontifici, ne eo obligentur. Scilicet noverant potestatem habere Pontificem illud praecipendi, etsi nullus canon exstaret. Quare falsum est et illud, putasse Africanos potestatem Pontificis esse canonibus limitatam. Hoc praecipuo argumento historico dissolutum facile dissolves alia eiusdem momenti, cuiusmodi est e. g. controversia S. Hilarii Arelatensis cum S. Leone M. de qua confer Balzerinos Oper. Leonis T. II, Observationes in Diss. 5^a Quesnelli.

Oportet tamen ut impudentissimum argumentum breviter refellamus. Usi frequenter hactenus sumus, et porro utemur auctoritate Romanorum Pontificum in praerogativis Romanae Sedis vindicandis. Aiunt autem adversarii eos non esse audiendos, quia *loquuntur in causa propria*. Verum 1) ipsi loquuntur in causa Christi et Ecclesiae suae. Audiatur Bossuet (Defensio p. III, L. X, c. 6.): « Audio quid dicant: Romanis Pontificibus Sedis suae dignitatem commendantibus, in propria videlicet causa, non credendum, sed absit: pari enim iure dixerint ne episcopis quidem aut presbyteris esse adhibendam fidem, cum sacerdotii sui honorem praedicant... Quod quidem hic semel dicere placuit, ut temerariam ac pessimam responsionem confutarem: profiteorque me de Sedis Apostolicae maiestate romanorum Pontificum doctrinae ac Traditioni crediturum: quamquam eorum sedem non ipsi magis quam reliqui ac tota ecclesia, orientales non minus quam occidentales praedicent. » 2) Cum sententiis eorum Pontificum consonant sententiae ceterorum Patrum et Synodorum; quare traditioni prorsus conformes haberi debent. Et nos hactenus 3) eos Pontifices adduximus tanquam testes traditionis et Ecclesiae doctores: in huiusmodi enim censu, testium nempe aut doctorum, Ecclesia universa semper eos Pontifices habuit quorum testimoniis usi sumus; unde eorum testificatio ab Ecclesia probata, tanquam saltem Ecclesiae totius testificatio ab adversariis acceptari debet.

ARTICULUS II.

De Potestate Rom. Pontificis erga societates
ab Ecclesia distinctas.

THESIS XXI.

Inter auctoritatem religiosam, quae propria est Romani Pontificis, et potestatem politicam christiani Principis ea existit ex ipsis rerum naturis habitudo, ut haec sit illi ne dum negative sed et positive subordinata, licet indirecte.

1. Subordinatio, de qua loquimur, in eo est quod alterum altero inferius sit, et ab eodem dependens. Negative subordinatam unam potestatem alteri dicimus, cum inferior intra limites quoque obiecti sui illud agere non potest (prohibente id ipso naturae iure) quod redundet in damnum superioris, atque ab iis actibus abstinere debet quos altera potestas iudicat non licere. Positive subordinatam unam potestatem alteri dicimus cum inferior ita dependet ut debeat per actus suos, altera id exigente, ad eius bonum et commodum conferre.

Prior subordinatio potestatis civilis ad auctoritatem Ecclesiae, ideoque et Romani Pontificis obtinentis plenitudinem eius auctoritatis, manifesta est. Etenim ex ipsis rerum naturis homo debet esse civis et religiosus; hoc alterum vero ratione finis est praestantius et magis necessarium. Hinc potestas civilis in exercitio sui debet habere rationem religionis saltem negative, h. e. impedire non debet homines ab assecutione finis ultimi: ratio evidens est; quia potestas ea est in bonum hominum: finis autem eorumdem praeferendus est ceteris bonis. Neque potestas civilis potest iure esse athea; haec enim potestas est a Deo iuxta Apostolum (Rom. XIII, 1): cuius doctrinae sensus non is est ut omnis potestas immediate a Deo conferatur; hic enim sensus nec necessarius est et frequenter falsus est in quavis sententia de origine potestatis civilis, si de omnibus superioribus sermo sit quibus in civili societate parendum est, ut loqui videtur Apostolus. Sed sensus est divina ordinatione existere potestatem in societate quae est quaedam participatio potestatis Dei, qui solus a se ius habet obligandi homines, ita ut sine hac participatione nemo possit habere ius obligandi alios imperio suo; haec scilicet vis regendi coactiva actiones eorum qui sunt natura pares et ab invicem independentes, ex aequo ordinati immediate in Deum, solum ab eo, qui hominum superior natura est eorumque conditor, originem habere debet. Atqui nequit esse athea potestas quae a Deo est, et instituta est in bonum eorum qui necessario ordinantur in Deum,

sicut nequit esse athea ea potestas a qua originem ducit, et a qua tantum vim habet. Quod si existat potestas religiosa positive instituta a Deo, cui omnis iurisdictio religiosa pro hominibus sit concedita, multoque magis si sit potestas ordinis supernaturalis pro hominibus ad finem supernaturalem elevatis; potestas civilis 1) nullum ius habet amplius in res religiosas et sacras, quae superioris ordinis sunt, et a Deo, Domino utriusque ordinis, alteri potestati sunt commissae (cf. quae diximus De Matrim. §. IV, prop. V.). Sequitur 2) in hypothesis institutae a Deo potestatis religiosae distinctae, quod potestas civilis pariter negative saltem, sicut diximus, habere rationem debeat ordinis illius religiosi, et potestatis eius a qua idem regitur.

Praeterea potestas religiosa Primatus instituta a Deo est magistra infallibilis moralitatis, non vero potestas civilis: haec vero potestas ius nullum habet praecipendi quod inhonestum est, Princeps autem christianus tenetur se subiicere magisterio Ecclesiae; cum ergo Ecclesia vel Romanus Pontifex docet legem aliquam aut institutionem esse inhonestam, nec sine peccato servari posse; illi iudicio submittere se debet potestas illius, et a re prohibita abstinere. Ergo.

II. Verum oportet ut potestas civilis habeat quoque positive rationem religionis: h. e. non tantum non impediatur bonum religionis, exercitiumque eius potestatis, qua societas religiosa gubernatur: sed et positive conferat, cum necesse est, idque potestas religiosa exposcit, ad bonum religionis, ad auxilium vel praesidium eiusdem potestatis religiosae. Quod quidem praesidium multipliciter ferri potest secundum triplicem potestatem, legislativam, iudicalem, coercitivam. Si nimirum potestas religiosa arbitretur expedire bono religionis ut quasdam leges ferat auctoritas civilis, earumque transgressores iudicet et puniat, vel ut a quibusdam legibus ferendis, etsi non per se malis, vel iudiciis instituendis absteat, ut vim suam coercitivam exercent in perturbatores ordinis religiosi, ipsa iubere potest principem haec praestare, isque iure exsequi ea tenetur. Haec est certa doctrina Bonifacii VIII in Bulla *Unam Sanctam*. Docet enim *gladium materiale*, qui in Ecclesia est, esse oportere *sub gladio spirituali*, et esse adhibendum *pro Ecclesia, ad nutum Sacerdotis*; dependentiam ergo habet potestas civilis a religiosa: si *pro Ecclesia*; ergo non solum non est gladius adhibendus contra Ecclesiam, aut eius bonum impedire non debet, sed in commodum et favorem Ecclesiae adhibendus est. Constitutionem porro Bonifacii VIII. Leo X sacro approbante Concilio Lateranensi Sess. XI. innovavit et approbavit sine praeiudicio declarationis Clementis V, quae incipit *Meruit*. Declaratio vero haec Clementis V confirmat Bonifacii doctrinam. Ait enim Clemens (cf. extra. comm. L. V. Tit. 7.

c. 2.) per definitionem et declarationem Bonifacii VIII regem Francorum Philippum et regnum eius non amplius esse subiectos Ecclesiae Romanae quam antea existebant. Scilicet Bonifacius non ius novum condidit, sed ius antiquum et divinum authentice declaravit; et idcirco Christianissimus Rex subiectus erat Romanae Sedi post Bullam Bonifacii non secus ac prius.

Quaeritur quanta sit vis huius prioris partis Bullae, in qua traditur subiectio gladii temporalis gladio spirituali: non enim doctrina ibi asserta videtur habere vim definitionis fidei; nam formulae exhibentes definitionem fidei in extrema tantum Bullae parte comparent, ac doctrinam afficiunt de necessaria omnibus subiectione ad Roman. Pontif. (*Porro subesse Rom. Pontifici, omni humanae creaturae declaramus dicimus definimus pronunciamus omnino esse de necessitate salutis*). Non contendimus certum esse certitudine quam consequatur obligatio credendi, quod ibi definitio fidei habeatur praeter hanc conclusionem; quoad hanc enim tantum Romanus Pontifex clare significat se supremi doctoris munere fungi, illudque ut necessario tenendum omnibus explicite proponit. Verum pars doctrinalis quae praecedit de subiectione auctoritatis temporalis spirituali ita nexa est cum extrema conclusione, ut theologica certitudine constet id quod definitum est eam quoque continere. Sane hic est processus bullae. Ecclesia, extra quam non est salus, una est, unum corpus. Unius Ecclesiae unum est caput, Christus videlicet et Christi vicarius Petrus Petrique successor. In Ecclesia duplex est potestas, seu duplex gladius, temporalis et spiritualis, sed ille pro Ecclesia, hic ab Ecclesia exercendus, hic sacerdotis manu, ille manu regum et militum sed ad nutum sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, et temporalem auctoritatem spirituali subiici potestati; quia utraque potestas est a Deo, quae autem a Deo sunt, ordinata sunt, quod non foret nisi gladius esset sub gladio, et tanquam inferior reduceretur per alium in suprema. Spiritualis vero potestas praecellit temporali. Haec spiritualis potestas collata est divinitus Petro, cui qui resistit Dei ordinationi resistit, nisi duo fingat esse principia, quod falsum et haereticum est. Porro etc.

Iam vero vides 1^o omnia quae ultimam conclusionem praecedunt, aptissime invicem cohaerere: *una scilicet est Ecclesia extra quam non est salus, unum caput Christus et Petrus, una potestas suprema; et quia duplex reperitur in Ecclesia potestas, temporalis et spiritualis, ea huic subiici debet, et ad eius nutum exerceri ut ordo sit et unitas*. Vides 2^o haec quae traduntur de unitate Ecclesiae, unitate capitis, ac potestatum subordinatione, non esse obiter et per accidens dicta, sed data opera de iis agi, ac ipsa ad substan-

tiam totius Constitutionis spectare; iis enim demptis non eadem constitutio doctrinalis formaliter haberetur: ea enim non ex sola conclusione, sed ex tota serie sermonis contextuque propositionum coalescit. Vides 3^o praecedentia necti veluti principia cum ultimis verbis conclusionis; unitas enim Ecclesiae, unitas capitis, et debita subordinatio omnium uni, quae enunciantur in praecedentibus, ratio sunt cur necesse sit omnem humanam creaturam subiectam esse Romano Pontifici, quod in fine constitutionis affirmatur. Iam vero 4^o in praecedentibus asseritur explicitè necessitas subiectionis principum temporalium quatenus tales sunt potestati spirituali. Ex iis autem consequitur ultima verba *omni humanae creaturae* completi quoque reges qua tales, docerique proinde ea definitione necessitatem illius subiectionis potestatis temporalis erga spiritualement quae explicata est superius. Probatur consequentia: nam amplitudo consequentis pendet ex amplitudine antecedentis, idque certe consequens uiversaliter expressum comprehendit quod diserte veluti eius pars enunciatum est in praemissis; atqui in praemissis enunciata est diserte subiectio regum qua tales sunt ecclesiasticae potestati: ergo. Igitur analysi instituta huius constitutionis constat rem definitam. h. e. omnes subiici oportere Rom. Pontifici, complecti quoque reges christianos, qua tales, seu politicam potestatem.

Ita certe accepta fuit ea aetate haec Constitutio, et haec ratio fuit cur Rex Christianissimus exandesceret.

Doctrina Bonifacii antiqua est; nam eadem est sententia Patrum. Quorum doctrina cognosci potest tum ex testimoniis citatis in Proleg. sub §. XVIII n. 7, quibus debitum subordinationis politicae potestatis auctoritati ecclesiasticae traditur; tum speciatim ex comparatione frequenter instituta inter habitudinem civilis societatis ad Ecclesiam et habitudinem corporis ad animam. « Vos (sermonem convertens ad Principes et praefectos ait Nazianzenus orat. XIII, n. 8) lex Christi meae potestati meoque subiecit imperio. Imperamus enim et ipsi, addo, maiori imperio et perfectiori; nisi vero aequum sit spiritum carni et caelestia terrenis cedere ». Et Isidorus Pelusiota L.III ep. 249. « Ex sacerdotio et regno rerum administratio conflata est. Quamvis enim permagna utriusque differentia sit; illud enim velut anima est, hoc velut corpus, ad unum tamen et eundem finem tendunt, hoc est ad hominum salutem ». Cui consentit doctissimus Ivo epist. 51 ad Henricum Regem Angliae, ipsum monens ut regnum terrarum caelesti regno, quod Ecclesiae commissum est, subditum esse debere semper cogitet. « Sicut enim sensus animalis subditus debet esse rationi, ita potestas terrena subdita esse debet ecclesiastico regimini: et quantum valet corpus nisi regatur ab anima,

tantum valet terrena potestas nisi informetur et regatur ecclesiastica disciplina ». Eadem formula utitur S. Thomas 2^a 2^{ae} q. LX. a. 6^o ad 3^o inquiring quod « potestas secularis subditur spirituali sicut corpus animae; et ideo non est usurpatum iudicium si spiritualis praelatus se intromittat de temporalibus quantum ad ea in quibus subditur ei secularis potestas ». Quam doctrinam authentice professi sunt Patres constantienses in condemnatione errorum Wiclephi: « sicut se habet spiritus ad corpus, et regio spiritus ad regionem corporis, sic proportionabiliter iudex ecclesiasticus ad iudicem terrenum, et forum ecclesiasticum ad temporale; sicut dicit ven. Hugo de S. Victore, et Alexander de Ales, et alii doctores et sacri canones ». Cf. hanc condemnationem in Append. Conc. Constant. n. 23 ad art. 12. Haec ratio loquendi constans et communis fateri cogit ad doctrinam Ecclesiae spectare quod ea comparatione enunciat de habitudine inter ecclesiasticam et civilem potestatem. Enunciatur autem subordinatio potestatis civilis ecclesiasticae, non qualis est vivificati ad vivificans; nam in Ecclesia catholica certa est doctrina ambas potestates esse distinctas et in suo ordine independentes, sed qualis est inferioris ordinati ad bonum superioris et habentis quoad ipsum rationem instrumenti ad id quod superius est finisque rationem habet ac causae principalis: nam haec est proprie altera habitudo corporis ad animam, et hac exclusa nulla est alia. Atqui talis subordinatio potestatis civilis ad ecclesiasticam exigit ut ad nutum huius ea positive concurrat in eius auxilium et praesidium; ita enim corpus obedit et inservit animae ut instrumentum eius: ergo.

Et sane inter potestatem civilem in societate Christiana et potestatem religiosam 1) nexus quidam existit; nectuntur enim tum ratione eorumdem subiectorum quae ab utraque potestate reguntur, tum ratione finium, ad quos eadem subiecta dirigit utraque potestas; ordo etiam societatis civilis, et ordo societatis religiosae mutuo se iuvare possunt: nexus vero 2) non est coordinationis; potestates enim se habent inter se sicut fines earum; finis vero potestatis civilis qui est ordo in societate civili, et finis potestatis alterius, qui est bonum religiosum, non sunt coordinati, quemadmodum coordinati non sunt finis ultimus hominis, et felicitas quaedam temporalis; qui fines ratio sunt cur et ordo in societate civili et bonum religiosum in societate religiosa sit per utramque potestatem respective curandum. Sed est 3) nexus subordinationis; nam finis, qui est felicitas temporalis, est quoad homines subordinatus fini ultimo qui per religionem obtinetur: est autem 4) potestatis civilis ad religiosam subordinatio *medii*, eius nempe quod in bonum subordinantis referri potest et debet, cum utile est ad finem subordinantis, et subordinans

exigit. Sunt scilicet quaedam media quae per se sunt ordinata ad finem aliquem, ut ideo existant quia est ille finis; sic sacramenta pro sanctificatione: sunt alia media quae pro certo fine per se necessaria non sunt, et sine eo esse possunt; eo tamen fine existente, illi subordinantur ut qui ius habet consequendi huius finis, ius quoque habere possit et habeat, si media ea illi praesto sunt, utendi eis ad finem. Sic etiam sine cultu religioso templorum posset esse aurum et argentum in natura: posito autem quod homines velint aut debeant dedicare templa, ius habent utendi auro et argento ad eorum ornatum veluti mediis in hunc finem subordinatis. Porro in hac classe mediorum dicimus reperiri potestatem civilem respectu potestatis ecclesiasticae. Etenim potestas civilis est instituta unice in bonum eorum qui tamen ad unum finem ultimo sunt ordinati, qui est bonum religiosum; ad quod propterea assequendum ius habet homo ut adiuvetur in hac vita per cetera bona, quae propter ipsum existunt illique sunt collata, quae idcirco rationem induunt mediis ad hunc finem: est ergo subordinatio potestatis civilis ecclesiasticae potestati subordinatio mediis. Porro huiusmodi ius fidelium exercet potestas religiosa, quae pro curando bono religioso hominum ultimique finis assecutione est instituta. Ius enim ipsa habet exigendi quod hominibus ad hunc finem est necessarium: cum autem sit vera potestas iurisdictionis, eaque versetur circa ea omnia quae ad finem religiosum referuntur, atque superior sit potestate civili, sicut finis suus fine illius; iure praecipere principi christiano potest quod sibi utile vel necessarium arbitretur. Iam vero talis subordinatio est positiva: ergo iurisdictioni Primatus, quae est plenissima potestas religiosa, subordinatur positive potestas politica.

Secundum haec verissime dicebat Innocentius III (epist. 197 l. II) voluisse Christum ut Petri successor « non solum inter principes, sed super principes sederet et de principibus iudicaret », atque (epist. 209) Christum b. Petro non solum universalem Ecclesiam sed totum seculum gubernandum reliquisse ». Porro tantumdem est quod potestas civilis subordinetur positive potestati religiosae, eique pareat in aliquo faciendo et quod eidem pareat in aliquo omittendo, eadem est enim formaliter subordinatio, et utramque pariter eodem titulo finis religiosus postulare potest: ergo et quoad haec subordinatur positive potestas civilis potestati religiosae. « Haec (ait Ioannes Archiep. Cantuariensis Eduardo Regi Angliae an. 1281 penes Mansi Conc. Tom. 24. p. 426) attendentes imperatores catholici leges suas omnes sacris canonibus subdiderunt, ne schismatici vel haeretici putarentur. Cum igitur ad vos, excellentissime domine rex, pertineat pax inclita imperii, et vos etiam tene-mini leges vestras canonibus subiicere, et contrarias abolere ».

Corollarium. Ex his sequitur quod Innocentius III (c. *novit de Iudiciis*) non est amplexus omnem materiam in qua christiani reges auctoritati Pontificis subesse debent cum inquit: « non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum (Regem Franciae Philippum) spectat iudicium, sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura ». Nam non solum ratione intervenientis peccati, propter cuius punitionem Reges christiani non secus ac ceteri fideles subsunt Pontifici, se exerere potest potestas Pontificis in ipsos Reges, sed ratione habita naturae ac finium utriusque potestatis.

III. Verum haec positiva subordinatio est ne directa an indirecta? Iam diximus superius subordinationem directam unius potestatis alteri potestati in eo esse ut potestas subordinata respectu sui proprii finis regatur a potestate superiore, ideoque ab hac pendeat quoad omnes actus suos; et ita proinde ut superior quoslibet actus suos irritare possit aut validos efficere. Atqui non ita subordinatur potestati religiosae potestas civilis. Nam potestas a Christo data Petro est formaliter potestas religiosa per se ordinata ultimo in finem supernaturalem consequendum in altera vita, immediate ordinata ad cultum divinum in hac vita procurandum eo modo quo Christus instituit. Nulla vero civilis potestas formaliter est collata Petro. Quocirca potestas ecclesiastica curam per se non habet felicitatis temporalis quae finis est societatis civilis; et ideo in iis omnibus, in quibus sola felicitatis temporalis ratio occurrit, civilis potestas, quae ad eam dirigere debet, est independens, cum ipsa et non alia propter hunc finem existat. Nec, quamvis ordo civilis conducere possit ad ordinem religiosae societatis, opus est ut omnes actus civilis potestatis regantur a religiosa, quia ordo et quies religiosae societatis exposcit quidem ut societas civilis recte et iuste gubernetur; sed non determinat modum, qui multiplex esse potest diversis legibus et institutis. Quare cum dependentia potestatis civilis a religiosa rationem omnem suam mutuatur a fine, finis vero religiosae potestatis non postulet ut modum etiam ipsa determinet quo civilis societas regatur, sive determinet formam regiminis, leges etc., hinc deest ratio sufficiens cur potestas religiosa dirigat actus omnes potestatis civilis. Non igitur directe subordinatur potestas civilis potestati religiosae. Restat ergo ut subordinetur *indirecte*. Et sane ratio subordinationis est excellentia finis potestatis religiosae, ad quem cetera, quae propter hominem instituta sunt, subordinari debent, et auxilium et praesidium, si opus est, praebere. Subordinatio vero ratione finis est solum indirecta. Haec porro subordinatio non excluditur ex eo quod sola potestas religiosa sit formaliter data

Petro; nam potestas formaliter religiosa eo quod ordinata in finem excellentiorem cui finis potestatis civilis subordinatur, est simul potestas indirecta utendi hac altera potestate; neque ad hunc usum requiritur in utente potestas formaliter civilis. Itaque quamvis ipsa persona Principis sit *directe* subiecta iurisdictioni Romani Pontificis, at tamen quatenus ille potestate sua utitur in regimine suae societatis, subiectus est *indirecte*, quia eatenus subest, quatenus postulante sine spirituali ius habet Romanus Pontifex dirigendi exercitium illius potestatis, isque parere tenetur. Porro hanc subordinationem esse ex ipsis rerum naturis liquet ex data demonstratione quae petita est ex essentiis rerum. Iure naturae scilicet hypothetico (supposita nempe existentia Ecclesiae) id postulatur.

Ineptissime vero quis hanc subordinationem negaret, eo quod potestas civilis sit immediate a Deo: nam et hoc modo dato (cf. Proleg. §. XVI), quid prohibet aliquid a Deo immediate procedere cum subordinatione ad aliud? Nonne animalia a Deo immediate sunt, et tamen homini subordinata? Nonne corpus et anima Adami immediate a Deo fuerunt, et nihilominus corpus animae subordinatum? An de elementis materiae chimici disponere non poterunt, quia ea sunt immediate a Deo? Nihil est ergo ineptius hoc argumento.

Haec est doctrina S. Thomae. Nam in II D. ult. in exposit. textus post a. 3^m q. 11^a ait: « ad 4^m dicendum quod potestas spiritualis et secularis utraque deducitur a potestate divina, et ideo in tantum secularis potestas est sub spirituali in quantum est ei a Deo supposita, scilicet in his quae ad salutem animae pertinent, et ideo ex his magis est obediendum potestati spirituali quam seculari ». Cf. verba eius ex hoc eodem loco recitata in thesi XIV.

IV. Diximus iurisdictioni Primatus esse subordinatam potestatem *Principis christiani*. Iurisdictione enim, quae non in abstracto sed in concreto exercetur, personam requirit in quem feratur, eaque subdita esse debet: qualis est Princeps christianus. Cum vero princeps subditus Ecclesiae non est, potestas quidem eius civilis ex divina ordinatione est talis ut Ecclesiae subordinari debeat; quemadmodum vult Deus omnia regna mundi Ecclesiae suae aggregari, omnesque reges agnos fieri Romani Pontificis: verum in regem non subditum nequit auctoritatem suam Romanus Pontifex exercere. Quid vero tunc fieri possit aut liceat vel non liceat, si praesertim tota regni societas sit christiana, alterius loci est disputare.

Ergo ne Princeps christianus in peiore conditione versatur quam infidelis? Ineptum et impium id est asserere. Sane 1) princeps qui Christianus fiat nullum ius amittit quod prius habebat: non enim prius habebat ius in sacra ordinis supernaturalis; sed tantum ad sum-

mum in quandam religionem naturalem, et quidem in statu praesenti ex hypothesi ignorantiae scilicet verae religionis quam solam Deus vult. Hoc autem ius in religionem naturalem, si quod est, retinet adhuc Princeps christianus, in hypothesi scilicet quod sola existeret religio naturalis, vel etiam in hypothesi quod habeat subditos infideles, qui converti nolint ad fidem: quorum ritus et instituta temperare potest ut terminos naturalis honestatis non excedant. At 2) dependentia a potestate religiosa non est imperfectio, sed perfectio; perfectio est enim coniungi supernaturali ordini ab eoque regi, et ad supernaturalem finem ordinari: quemadmodum perfectio est naturae humanae Christi non in se, sed in alio subsistere: et generatim posita institutione ordinis supernaturalis, perfectio est naturalium rerum illi famulari. Ceterum 3) an dicendus est in peiore esse conditione fidelis quam infidelis, quia illius libertas pluribus legibus est limitata, e. g. ieiunandi, suscipiendi sacramenta, sanctificandi dies festos etc.? cur ergo dicunt deterreri merito Principes paganos ne christiani fiant, si ea subordinatio potestatis eorum ad potestatem religiosam asseratur? Tandem 4) plurima certe sunt bona quae obtinent principes in societate christiana, non tantum prout privatae personae sunt, sed prout sunt principes, quae enumerare longum esset. Unde nihil amittunt Principes, plura vero consequuntur.

Coroll. Ex probatis sequitur 1) Principes ex hoc officio nullam sibi posse auctoritatem vindicare in res ecclesiasticas et sacras, se enim tenent ex parte mediorum, quorum non est regere, sed regi; curam scilicet Ecclesiae gerunt reges non ut domini, sed ut ministri, non ut iudices sed ut executores (cf. Becanum in duello de primatu regio c. 8). 2) Ad potestatem religiosam spectare iudicium: an et quomodo singulis in adiunctis praesidium religiosae societati a civili potestate suppeditandum sit: iudicium enim de usu mediorum pertinet ad eum qui curam habet finis: et 3) propter eandem rationem esse potestatis religiosae arbitrari quid Ecclesia exigere possit a potestate civili, et quid haec potestas civilis possit in iis quae ad Ecclesiam spectant. 4) Cum finis temporalis, qui est finis societatis civilis, et finis spiritualis, qui est societatis religiosae, concurrunt quibusvis in rebus, sicut finis prior posteriori subordinari debet, ita civilem potestatem potestati religiosae cedere in iis debere. 5) Merito proscriptam esse prop. 54. syllabi: « Reges et Principes non solum ab Ecclesiae iurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus iurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia. »